

quantum interest, damnum datum non fuisse.

— Quæritur III. Qualis detur actio ob damnum datum? Resp. juxta jam dicta, dari actionem ex lege Aquilia, quæ licet tria capita contineat, tamen primum, et tertium duntaxat de facto sunt in usu, ita ut vi primi capitis, si damnum datum importat occisionem hominis, vel pecudis, id est animalium, quæ gregatim pascuntur, uti boves, oves, sues, etc., detur æstimatio occisi animalis non tantum, quanti fuit tempore interitus, sed etiam quanti tertio fuit per totum annum; ac insuper æstimatio omnis damni, quod occasione occisionis hominis, vel animalis, vel rei alterius deterioratæ, destructæ, etc., contingit, § 10, et subsequentibus Instit. ad Legem Aquil. Ratione tertii capitis tenetur ad resarciendum damnum, sive vulnerando hominem, aut pecus, sive deteriorando vel destruendo rem, etc., illatum, ac insuper in specie, si animal, quod gregatim non pascitur, veluti canes, aves, feræ, etc., occidat, petitur æstimatio rei deterioratæ, aut peremptæ, quanto retro in proximis triginta diebus fuerat, § Illud autum. 14. Instit. eod.

51. Subinde competit hæc actio etiam ad duplum, et quadruplum. — Porro etsi in Actione ex Lege Aquilia regulariter loquendo solum petatur æstimatio damni, et quantum interest damnificantis, damnum datum non esse, Prin. et § 10, Instit. h. t. Ad Legem Aquil. tamen dantur casus, in quibus ad plus convenitur damnificans, uti ad duplum, qui clam alterius arbores succidit, l. Furtum. 7, § fin. et l. 8, ff. Arborum furtim cesarum. Et in quadruplum, qui per vim intert damnum, l. 2, ff. De vi bonorum raptorum. Item ad quadruplum ille, qui tempore calamitoso, puta incendii, tumultus, ruinæ, naufragii, etc., damnificat, l. 1, prin. et l. 3, § Item solum ff. de Incendio, runa, etc. De quibus amplius Civilistæ, vide etiam Engel h. t. n. 36.

52. Actio ex effuso, vel dejecto quid importet, et contra quem competat? — Actioni ex Lege Aquilia affinis est actio ratione ejectionis, vel effusionis, vi cuius ille, qui inhabitat domum, vel cubiculum, ex quo aliquid in publicam plateam, per quam vulgo transitur, effusum et ejectum, indeque alteri damnum illatum est, convenitur in duplum, licet inhabitator non effuderit, vel ejecerit — que ideo ut damnificatus sui damni damnificationem facilius consequatur; cum alias

sæpe impossibile foret, probationem contra illum facere, qui effudit, vel ejecit; contra quem tamen ipse habitator, qui damnum resarcivit, habet actionem pro suo interesse, l. 1, et seqq. ff. De his qui dejecerunt, et ibi doctores, Engel h. t. num. 36.

TITULUS XXXVII.

De pœnis.

1. Ratio continuationis. — Quia in præcedentibus titulis actum est de variis delictis, recto ordine sequitur titulus de pœnis; quia bonum commune requirit, ne delicta maneant impunita.

§ I.

DE PŒNIS IN GENERE.

2. Definitur pœna; ubi nulla culpa, ibi nulla pœna. — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit pœna? Resp. I. Proprie loquendo, pœna est noxæ vindicta, l. Aliud est 131, ff. de Verbor. signific. Id est, pœna est supplicium, quo quis ob delictum afficitur: siquidem ut dicitur, can. 4, dist. 3. Pœna proprie dicitur læsio, quæ punit et vindicat, quod quisque commisit, seu per culpam delinquit. Nam sine culpa regulariter nemo punitur, quia pœna est mensura culpæ, juxta illud Deuter. 25. « Pro mensura peccati erit et plagarum modus: » simulque pœna constituitur in emendationem hominum, l. Si pœna ff. de Pœnis; quæ ratio deficit, in eo, qui non peccavit. Dixi regulariter, nam in crimine læsæ Majestatis filii etiam innocentes, in detestationem paterni criminis puniuntur, l. Quisquis C. ad Legem Juliam Majestat. et idem fit in nonnullis aliis casibus, ubi subest justa causa puniendi, ad terrorem cæterorum v. g. etiam innocentes. Unde Reg. jur. in 6, notanter utitur aliqua limitatione dicendo: « sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus. »

3. Pœna alia est civilis, alia criminalis, alia conventionalis, alia legalis, alia judicialis. — Resp. II. Pœnæ imprimis aliæ sunt civiles, aliæ criminales. Pœna civilis dicitur, quæ non tendit ad vindictam publicam, sed ad privatum commodum partis læsæ (et hoc

§ I. DE PŒNIS IN GENERE.

ipso stricte loquendo, non est pœna proprie dicta, bene tamen minus proprie talis). Et hæc subdividitur in conventionalem, legalem, et judicialem. Pœna conventionalis dicitur, quæ ex conventionione partium, veluti si quid datum vel factum non fuerit, committitur ac præstari debet; de quo fit sermo c. Constitutus h. t. Pœna legalis est pœna civilis, quæ a lege imponitur, vel pro reparatione damni illati, vel propter contumaciam, aut contemptum. Tandem pœna judicialis est, quæ a judice infertur. Pœna rursus alia est spiritualis ecclesiastica, hæcque alia vindicativa, alia medicinalis, de quibus infra.

4. Criminalis alia pecuniaria, alia corporalis: Corporalis alia capitalis, alia non capitalis: quod hæc? Ultimum supplicium quid? — Pœna criminalis est, quæ tendit ad vindictam publicam. Et hæc rursus varie dividitur, videlicet in temporalem, et perpetuam, in pecuniariam, et corporalem: item in capitalem, et non capitalem, de quibus plura infra. Capitalis est, quæ adimit vitam hominis vel naturalem, vel civilem Cujus species plures enarrantur l. Capitalium pœnarum. 28, ff. h. t. Inter quas sunt ultimum supplicium, quo vita naturalis adimitur, l. Ultimum. 21, ff. eod. ibi: « ultimum supplicium esse mortem solam interpretamur. » Item damnatio ad metallum, et deportatio, quibus æquiparatur exilium perpetuum, et Bannus imperialis. Pœna non capitalis est, qua quis salva vita naturali, et civili coercetur, uti sunt « relegatio, fustigatio, membri amputatio, incarcerationio, stigmatis inustio, » cit. l. Capitalium. 28, § 1, ff. h. t.

5. Pœna ordinaria, et extraordinaria: pro extraordinaria potest etiam ultimum supplicium imponi. — Rursus pœna alia est ordinaria, alia extraordinaria sive arbitraria. Pœna ordinaria dicitur, quæ a jure est expressa, ac determinata; sive quam lex, princeps, aut consuetudo induxit, seu præscripsit. Extraordinaria vero, sive arbitraria est, quæ nulla lege, statuto vel consuetudine est definita, sed extra ordinem a judice imponenda juxta arbitrium et prudentiam ipsius pro qualitate delicti, et variis ejus circumstantiis, prout fit, quando lex actum quidem prohibet, sed pœnam non statuit, aut saltem hanc determinat, sed judici determinandam relinquit.

6. Pœna negativa et positiva, quid? — Ulterius pœna alia est læta, alia ferendæ sen-

tentiæ, alia positiva, quæ videlicet aliquam externam actionem ad sui executionem requirit; alia negativa, quæ scilicet talem actionem pro executione non requirit.

7. Regulariter loquendo judex inferior non potest augere vel minuere pœnas a jure statutas. — Quæritur II. An, et quatenus judex possit augere, vel minuere pœnas? Resp. I. Regulariter loquendo et sine causa judex inferior nequit pœnas ordinarias, seu jure taxatas remittere, vel commutare, multo minus augere. Engel, h. t. n. 3. Zoesius, n. 10. Pirhing, n. 3 et communis. Ratio est, quia judex tenetur servare æquitatem legalem, debetque non de legibus, sed secundum leges judicare: nam ut dicitur c. In istis. dist. 4. « In istis temporalibus legibus, cum fuerint institutæ et confirmatæ, non licebit judici de ipsis judicare, sed secundum ipsas. » Idem fusius habetur c. Summopere, 11, q. 3. Hinc l. 1, § Sed non. ff. Ad S. C. Turpilianum dicitur: « Facti quidem quæstio in arbitrio judicantis est, pœnæ vero persecutio non ejus voluntati mandatur, sed legis auctoritati reservatur, » cum concordantiis.

8. Bene tamen princeps supremus. — Dixi notanter 1. Judex inferior: Siquidem princeps supremus, puta, rex, vel alius, cui jus aggratiandi, vel remittendi pœnas ex privilegio et consuetudine competit, uti hodierno tempore id competit principibus, ac statibus Imperii, licite potest reo pœnam vel imminuere, vel omnino remittere; hoc ipso, quod lege humana superiores censeantur, l. Princeps. 31, ff. de Legib. quamvis etiam his cavendum sit, ne nimia sua indulgentia jus publicum vel privatum lædant, vel relinquendo scelera impunita, scandalum, et occasionem liberius peccandi præbeant.

9. Et ex rationabili causa etiam judex inferior. — Dixi 2. Regulariter loquendo et sine causa: siquidem ob speciales circumstantias potest inferior pœnas ordinarias, et lege præscriptas imminuere, aut etiam aggravare, l. Aut facta, ff. de Pœnis. ubi inter alia dicitur, quantum ad hoc « scelera consideranda esse septem modis, causa, persona, loco, tempore, qualitate, eventu. » Sic potest judex minuere pœnam lege taxatam ratione ætatis, quæ nondum sufficiens est ad subeundam pœnam, vel ratione imprudentiæ, l. Fere. ff. de Reg. jur. ibi: « Fere in omnibus pœnalibus judiciis, et ætati et imprudentiæ succurritur. » Item ra-

tione senectutis, arg. c. *Tantæ*, dist. 86, vel ob paupertatem, si est pœna pecuniaria; imo et ob qualitatem personæ, aut alias circumstantias prudenti iudicis arbitrio pensandas, poterit pœna minui; et e contra potest etiam pœna aggravari, quoties nimirum ob ejusmodi circumstantias crimen aggravatur, prout amplius habetur cit. l. *Aut facta*, ff. de *Pœnis*. cum concordantiis. Et quia jura tribuunt hanc facultatem ex causa pœnas temperandi vel aggravandi, iudices in sententiis criminalibus id observantes, non censentur agere contra legem, sed servare legem, cum ex generali potestate sibi per leges concessa alterent pœnas pro exigentia circumstantiarum delicti. Fagnanus c. *Canonum statuta*. n. 116, de *Constitut.*

10. *In pœnis arbitrariis debet iudex procedere iuxta qualitatem delicti. Arbitrium iudicis relictum semper debet esse regulatum.* — Resp. II. Pœnæ arbitrariæ, seu quæ nulla lege sunt definitæ, debent regulari ex qualitate delicti, ac personarum. Ita Sebastianus Guazzinus, *Tract. ad defensam inquisitorum*. Tom. II. Defens. 33, cap. IV, n. 7, post Gomez, et alios. Unde (subdit citatus auctor) quotiescunque pœna erit arbitraria, iudex rationem habere debet ad qualitatem delicti et personarum, sicque considerare debet senectutem, juventutem, furorem, ebrietatem, iram, ignorantiam, magnam virtutem, excellentiam, et utilitatem reipublicæ, et semper debet inclinare in mitiorem partem, nisi reus esset solitus delinquere. Ratio horum omnium est, quia pœna arbitraria relinquatur determinanda arbitrio prudentis iudicis: atqui arbitrium hujusmodi debet esse rationi, et juri conforme, arg. l. *Non possunt*. ff. de *Legib.* non enim arbitrium hic accipitur pro arbitrio libero, et absoluto ac pleno voluntatis, sed pro arbitrio regulato a recta ratione, sive pro arbitrio boni viri, quod solet explicari per ly *Si justam putaveritis*, etc., arg. l. *Societatem*. ff. pro *Socio*.

11. Num autem hujusmodi Pœna extraordinaria, seu arbitraria possit se extendere ad pœnam majorem, aut etiam ad pœnam mortis, disputant doctores. Et quidem loquendo de pœna mortis, Josan, l. *Qui jurisdic.* n. 4, ff. de *Jurisdic. omn. judic.* videtur tenere negativam, nisi ejusmodi iudex sit supremus, ut puta princeps, arg. l. 1, ff. de *Furibus*. Verum communior doctorum sententia est, quod quamvis de jure, vel consuetudine

non sit imposita pœna mortis, si tamen atrocitas et qualitas delicti ob speciales circumstantias id expostularet, possit iudex etiam pœnam mortis imponere; secus autem non. Ratio est, quia pœna est imponenda secundum qualitatem delicti, arg. c. *Non asseramus*, 14, q. 1. Et ita tenet Glossa, § *In summa*. y. *Extraordin. Instit. de Injuriis*. Zoczius, h. t. n. 15, allegans Abbatem, Engel, h. t. n. 2. Guazzin. *Defens.* 33, cap. xvi, cum aliis, quos citat.

12. *Pœna arbitraria potest etiam ultimum supplicium esse.* — Solum nota cum citato Guazzino, num. 2, et Engel, h. t. n. 5, post Vallensem, § 4, n. 3, et alios, quod hodie ex praxi omnes pœnæ, ubicunque locorum factæ, sint arbitrariæ, ac proinde possit hoc tempore iudex moderari pœnas Legum pro varietate circumstantiarum, locorum, personarum. Verum hoc intelligendum arbitrator conformiter dictis n. 9. Nam si delictum non haberet aliquando causam aggravantem, vel minuentem, iudex teneretur sequi pœnam legis, nec esset locus arbitrio; cum virtute arbitrii iudici concessi non possit iudex aliquid facere, quod non sit juri et rationi consonum per textus, n. 7. allegatos, et late probat Menochius, de *Arbitrar. judic. quest.* 9, n. 3, et quest. 77, n. 4, et quest. 87, n. 2. Igitur tunc solum erit locus pœnæ arbitrariæ, quando hæc vel non est lege aut consuetudine determinata, vel saltem aliqua causa extrinseca, sive intrinseca delicto adhæret, ob quam ea videatur minuenda vel aggravanda.

13. *In dubio pars mitior est eligenda circa impositionem pœnarum.* — Hoc tamen adde, quod stante dubio, aut diversa legum intelligentia iudex semper debeat in mitiorem partem declinare, juxta allegata juris axiomata. « In obscuris minimum est sequendum, » *Reg. 30, Jur.* in 6. Item, in pœnis benignior interpretatio facienda est, juxta *Reg. 49, Jur.* eod. Et « in pœnalibus causis benignius interpretandum est, » l. *Factum*. ff. de *Reg. jur.* Nam, ut dicitur c. *Alligunt*. 26, q. 7. « Melius est propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem. »

14. *Ita tamen, ut graviora delicta non nimis clementer puniantur.* — Nihilominus tamen circa reos in gravioribus criminibus legitime convictos, non nimis clemens esse debet iudex juxta illud Exodi 22. « Maleficos non patieris vivere; » ne videlicet malefactores

sensim multiplicentur, ipsique liberati graviora perpetrent delicta ad gravem reipublicæ perniciem. Attendenda igitur erit doctrina, l. *Respicendum*. ff. de pœnis, data iudicibus in hæc verba: « Respicendum est iudicanti, ne quid aut durius aut remissius constituat, quam causa deposcit: nec enim aut severitatis, aut clementiæ gloria affectanda est, sed propenso iudicio, prout quæque res expostulat, statuendum est, plane in levioribus causis proniores ad lenitatem iudices esse debent, in gravioribus pœnis severitatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi. » Hæc ibi:

Quæritur III. An, et quando pœna lata, vel ferendæ sententiæ obliget in conscientia? Resp. ad hoc quæsitum patere lib. I, tit. II, § 9, per totum.

15. *Transgressores legis incurrunt pœnam illius etsi talem pœnam ignorent.* — Quæritur IV. An quis excusetur a pœna ex eo, quod legem culpabiliter quidem transgrediatur, ignoret tamen pœnam transgressoribus positam. Resp. Negative. Responsio patet ex dictis lib. III, de *Simoniam*, § 13, a n. 321.

§ II.

DE POENIS ECCLESIASTICIS IN SPECIE, PRÆSERTIM VERO DE PRIVATIONE BENEFICIORUM, DEPOSITIONE, DEGRADATIONE, INFAMIA, ET IRREGULARITATE.

16. *Definitur pœna ecclesiastica seu canonica.* — Quæritur I. Quid et quotuplex sit pœna canonica, seu ecclesiastica? Resp. I. Quamvis communiter recepta sit definitio pœnæ canonice a doctore nostro subtili data in 4, dist. 25, q. 1, § In ista quæstione, illis verbis: « Pœna canonica est pœna inflicta per canones, vel secundum canones prohibens, vel arcens punitum, ab aliquo gradu ecclesiastico, qui alias sibi liceret: » prout jam diximus, et explicavimus in theologia nostra morali, tr. XIII, q. 4, a n. 45. Nihilominus quia dantur plures pœnæ ecclesiasticæ per S. canones præscriptæ, quibus præfatæ definitionis ultima verba non conveniunt, ideo pœnam canonicam, seu ecclesiasticam magis large, et prout omnes Ecclesiæ pœnas comprehendit, definiendo, et omitendo ultima præfatæ definitionis verba, bene dicitur: Pœna ecclesiastica seu

canonica est, quæ ab Ecclesia, seu potestate ecclesiastica per canones, vel secundum canones infligitur. Definitio patet ex terminis, sola notanda verba per canones, quibus verbis indicatur pœna ipso jure, seu ipso canone jam imposita, consequenter jam latæ sententiæ existens; et vel secundum canones, quibus verbis innuitur pœna per sententiam primum juxta præscriptum tamen S. canonum ferenda: si enim his conformiter non infligeretur a iudice, foret injusta.

17. *Afferuntur plures species illius.* — Resp. II. Etsi rursus apud communem theologorum pœna canonica septem duntaxat numeret species sequentes, videlicet depositionem, degradationem, infamiam, irregularitatem, excommunicationem, suspensionem, et interdictum, prout loc. cit. in theologia nostra Morali annotavimus, tamen sumendo Pœnam canonicam, seu ecclesiasticam in sensu definitionis num. præced. datæ; Pœna ecclesiastica, seu canonica ad propositum bene dividitur in eam, quæ imponitur in foro interno, seu pœnitentiæ (de qua tit. seq.) et in eam, quæ infligitur in foro externo, seu judiciali: quæ pœnæ rursus subdividuntur in vindicativas, et medicinales.

18. *Aliæ sunt medicinales: et quæ?* — Medicinales sunt, quæ propter culpam imponuntur ad hoc, ut per eam fidelis emendetur, et a contumacia desistat, et sunt ipsæ censuræ ecclesiasticæ, excommunicatio videlicet, suspensio, et *Interdictum*, de quibus infra tit. XXXIX, per totum ex professo.

19. *Aliæ vindicativæ, et quæ?* — Vindicativæ sunt, quæ tendunt ad vindictam delinquentis, ac propterea proprie pœnæ dicuntur juxta definitionem num. 16, datam: quarum plures, præcipue vero sequentes inveniuntur in jure ecclesiastico, videlicet, I. Inhabilitas ad beneficia, dignitates, et officia ecclesiastica. II. Privatio illorum prius rite obtentorum. III. Depositio. IV. Degradatio. V. Infamia. VI. Irregularitas. VII. Pœna pecuniaria. VIII. Carcer, seu Incarceratio. IX. Detrusio in arctum monasterium. X. Tortura. XI. Verberatio, seu flagellatio. XII. Exilium, seu relegatio. XIII. Confiscatio bonorum. De quorum sex prioribus, utpote magis spiritualibus in præsentia; de relictis vero in sequenti § agemus. Hinc.

20. *Inhabilitas ad beneficia quid sit? et quomodo obliget.* — Quæritur II. Quid sit